

dum minus firma existimabantur. Initio, ne qua subeuntibus hostibus se tegendi facultas esset, arbores excindi, hortos vastari, domos circumquaque complanari jubent. Ea res miserando nimium spectaculo fuit, cum diuturna centum fere annorum pace incredibili solertia, atque immani incolarum sumptu extracta ad usum ac delicias loca passim dirui ac prosterni cernerentur. Præcipola, Sanctus Alexius, ac Pandospitium pagi, fanaque nonnulla urbi propinqua solo æquata, ac ne aqua hosti suppeteret, oppleti humo putei fuere. Proxima metendi, atque in urbem convehendi frumenti cura fuit; quod importari nequibat, incensum, corruptum; agrestium intra mœnia mille ac quingenti evocati, qui magnam pugnando, majorem in communienda urbe operam præstitere. Epirotæ etiam equites ducenti circiter ex agro introducti. Franciscus Thronus, ac Nicolaus Donatus trierarchi, qui cum duabus trimibus insulæ custodiæ præerant, Ciliciæ litora percurrentes plura hosti detrimenta intulere; pontem ad peditatum, equitatumque in naves inferendum ab iis ad Seleuciam stratum concremare. In Tripolitano portu onustum pretiosa merce navigium cepere. Mœnia interim, si qua parte minus firma essent, sarciri cœpta, novæ e gleba ac cœspite munitiones strui, propugnaculis variique generis munimentis urbs fulciri, interiores aggeres tex artis præscripto duci, quo, occupatis mœnibus, tutus recursus esset. In his administrandis ingens omnium sollicitudo, atque ardor, ut vix noctu ad fessa reparanda corpora quietis tempus permetteretur; ducesque, & insigniores præfecti manus operi admovendo reliquos exemplo incitarent. In his perficiendis quatuor mensium spatium infumitur.

Interea (uti superioribus libris diximus) classis Turcica octavo kalen. julii ab occidentali insulæ promontorio conspecta, cum sexto kalen. ad Salinarum portum austro objectum, quod fere triginta passuum millium intervallo a Leucosia, & Tamasso abest, pervenisset; hostes, copiis expositis, ad Leucosiam invadendam processere. Dum se ad iter compararent, emissi Tamasso Epirotæ equites aliquot, minutis præliis Turcas aggressi, ex iis viginti cecidere; capita in oppidum, veluti victoriæ omen tulere, Rondacio tantum Comite vulnerato, quo ex vulnere in urbe occubuit. Valmaranus

*Francisci
Throni, &
Nicolai
Donati vir-
tus in Tur-
cis perse-
quendis.*

*Tamassien-
sum opera
in urbem
munienda.*